

## **Dissertatio medica de podagra / [Jean Godefroy Pfaehler].**

### **Contributors**

Pfaehler, Jean Godefroy.  
Salzmann, J.  
Université de Strasbourg.

### **Publication/Creation**

Strasbourg : G.A. Piescker, 1733.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zzy73nac>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V. 10.  
DISSERTATIO MEDICA

37

DE  
PODAGRA,  
QUAM

*Divina assistente Gratia,*

SUB

PRÆSIDIO

DN. IOH. SALZMANNI,  
Med. D. Anat. Chirurg. & Pathol.

P. P. O. Capit. Thoman. Canon. Sui ordinis  
h. t. Decani Spectabilis,

Dni Patroni atque Præceptoris sui ad cineres colendi,

IN ALMA ARGENTORATIENSIS

UNIVERSITATE

Ad d. 5. Decembr. M DCC XXXIII.

*Horis locoque solitis*

Solenni Philiatorum Examine subiciet

JOHANNES GOTHOFREDUS PFÆHLER,  
ARGENTORATENSIS.



ARGENTORATI,

Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univers. Typogr.

# VIRIS

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMO, PRUDENTISSIMIS SPECTATISSIMISQUE,

**DN. FRANCISCO OESINGERO,**

J. U. Ddo Contractuum Civilium Actuarius Meritissimo, Liberalitatis Schenckbecherianæ Præfecto Dignissimo, Suo è Baptismatis Fonte Susceptori pie colendo.

**DN. ERN. FRID. MOLLINGERO**

Senatorii Ordinis Assessori, & Collegii Mercatorum Socio maxime Conspicuo.

**DN. JOH. JACOBO SCHATZIO**

Ejusdem Senatorii Ordinis Assessori, Mercatori Florenti, Avunculo suo Honoratissimo.

**DN. JOH. LEONH. PFAEHLERO**

ad D. Petri Jun. Presbytero Vigilantissimo, Mercatori Felici, Parenti suo filiali amore & obsequio suspiciendo.

Has Studiorum Suorum Primitias  
devoto & venerabundo mentis affectu

*D. D. D.*

IOH. GOTHOFREDUS PFAEHLER.

# PRÆLOQUIUM



*Uod si Medicina Dogmaticæ  
Stator Hippocrates Epist. Post.  
ad Damagetem recte pronun-  
ciavit, totum hominem ex na-  
tivitate morbum esse, non à vero aberr-  
bimus, si eundem ad ultima quoque vitæ  
suæ morbum esse dixerimus. Uti enim te-  
nellos infantes, quam primum ex ergastulo  
suo, utero puta, eruperunt, hancque mun-  
di lucem aspexerunt, varia malorum ge-  
nera premunt; ita non pauciora vel con-  
sistentem vel provecctam ætatem infestant  
miserosque non nisi cum vita deserunt &  
ad tumulum usque comitantur. Expe-  
rientia quippe toto die comprobat, affe-  
ctus quosdam p. n. qui gravissimi sunt &  
à longo tempore invalere, omnem plerumq;  
medelam aspernari, quod ipsum Epilepsia,  
Calculus, Hydrops atque Phtbisis invetera-  
ta palam faciunt. Ad hanc classem quo-  
que referendus est affectus ille calamitosus.*

PODAGRA dictus, à quo, ubi jam sæpius invasit, membra multum debilitavit & reiterato recurſu ſedem fixam ſibi elegit, non facile datur in integrum reſtitutio. Quamvis enim exquisita diæta & ſolicita medela enormiores ejus inſultus præſervare queant, non tamen efficiunt, quin poſt breviora aut longiora intervalla malum recrudeſcat. De quo humani generis tortore Speciminis Academici loco quædam in medium proferre nobiſcum conſtituimus. Equidem nos non latet, plurimos jam ante nos circa illum occupatos fuiſſe, ejuſque cauſis atque ſignis traditis convenientem therapiam præſcripſiſſe, id ipſum tamen nos à propoſito baud deterruit, in memoriam nobis aliisque revocantes, nihil fere noſtro hoc ævo dici, quod non dictum ſit prius, & nova ſeu ab aliis nondum tradita non quovis die ſeſe offerre. Quem laborem noſtrum, ut Divinum Numen in proximi ſalutem dirigat, enixis ab eo precibus contendimus.

F. N. F.

§. I.



Orbus si quis alius, qui Medicorum labores atque curam ut plurimum eludit, ægrorumque patientiam nimium fatigat, affectus sane arthriticus, præprimis vero illius species Podagra est, à multis vel prorsus incurabilis vel sal-

tem curatu difficilis habita, parumque obediens medicamentis, à quibus etiam non rite adhibitis haud raro exasperatur; unde omni fere tempore Medicorum opprobrium appellari consuevit. In cujus historia tradenda primo omnium DEFINITIONEM seu qualemcunque descriptionem exhibere instituti nostri ratio postulat.

Est ergo Podagra stricte sic dicta, affectus p. n. pedis articulos occupans, cum dolore plus minus fixo & exquisito, à congestione sanguinis & materia viscidæ, salinæ, acris, partes nerveas, membranaceas atque ligamentosas distendentis ortus, perque periodos invadens atque actionem partium motumque vel ex parte vel omnino lædens atq; impediens.

A

§. II.

§. II.

PODAGRÆ nomen à vulgo καλαχρησικῶς pro omni arthritide fixa venditatur, de generali arthritica affectione hoc vocabulum sumente, hinc formula loquendi solennis ipsi est, *Er hat das Podagra an Händen und Füßen* / à *Mart. Gerbezio E. N. C. Cent. VIII. Obs. 6.* Podagra non podagra satis concinne nuncupata.

Arthritidis vox generalis ratione originis ἀπὸ τῆ ἀρθρῶς derivanda, idem est ac πόνος τῶν ἀρθρῶν morbus artuum, sive labor articularum, juxta *Hippocr. Sect. III. Aph. 31 & Sect. IV. Aph. 44. 45.* vocabulum vero ποδάγρα derivari potest ἀπὸ πὸς ποδός, pes, & ἄγρα, quod notat capturam, venationem, rem quam capimus, vel ipsum capiendi actum. Annotante *Henr. Stephano Thes. Ling. Græc. ποδάγρα pedicam seu tendiculam, qua ferarum pedes illaqueantur* significat; quæ vox ad nostrum affectum translata fuit, eo quod pedes veluti captos & irretitos tenet, denominatione ab affecta parte desumpta. Quo etiam respexit *Lucianus in Trago-podagr. Tom. III. p. m. 696.* ita canens: *Plerique me mortalium podagram vocant, quoniam pedum captura sum, ποδῶν ἄγρα.* Ubi &, ut id obiter hic addamus, miseram podagricorum conditionem multis exposuit. Gallis la goutte, forsan quia materia peccans guttatim ad articulos destillare creditur. Germani vero vocem Græcam mutuati eam vocant *das Podagra* / rectius *das Zipperlein* / quibus latiore etiam significato, sed minus specifico *das Glieder-Weh* / oder *die Sicht* vocatur.

§. III.

Paucis hisce præmissis, præcipuas affectus nostri DIFFERENTIAS in medium proferamus. Ratione sedis & partis affectæ arthritidis generatim considerata est vel universalis, totum corpus vel pleraque ejus membra obsidens, vel particularis, quæ nonnisi unum vel alterum affligit, fixa ideo nuncupata, hæc pro partium laborantium conditione atque varietate diversa utique nomina accepit. Cujus nonaginta species *Æsculapium* quondam numerasse è *Quinto Sereno de morb. curand. c. 42.* edocemur, quas hic recensere longum nimis foret, unam tantum vel alteram hic afferre liceat. Sic si sedem suam fixit in genu *γονάγρᾱ*: si in manu, *χειράγρᾱ*: si in humero & scapulis *ὠμάγρᾱ* vel *ὠμοπλατάγρᾱ*: si cubiti articulum *ἀγκωνάγρᾱ*: si coxam seu coxendicem occupat, *ἰχιάς* vel etiam & quidem frequentius dolor ischiadicus: si vero regionem lumbarem, lumbago rheumatica: si denique pedes detinet, *ποδάγρᾱ* appellari consuevit; de qua ultima potissimum sermo nobis erit. Hæc I. RATIONE TYPI, vel brevis est, quæ cito & intra paucos dies terminatur, vel magis diuturna seu chronicoteros, in qua paroxysmi diutius durant, & ad aliquot septimanas, imo menses protrahuntur. II. TEMPORIS, alia est recens & modo incipiens, quæ ut plurimum lenior & clementius ægrum tractat, atque tardius recurrit longioribus intervallis: alia inveterata & habitualis, acerbius affligens. III. PERIODI, alia regularis est & certam periodum observat, quam *Th. Sydenham Medicus Anglus Tr. de podagr.* graphice describit,

bit, alia vero irregularis atque anomala, de qua *Guil. Musgravius pecul. tract.* egit, in quo de interna plura notatu dignissima Lectori exhibet. *Conf. E. N. C. Cent. I. & II. Obs. 151. IV. CAUSÆ*, cujus intuitu ab *Anonymo quodam diss. de Arthrit.* 1689. *Paris.* edita in calidam & frigidam distinguitur, hujusque discriminis rationes & phænomena declarantur, illa temperamento cholericō & sanguineo, hæc phlegmatico familiarior est. Non minus alia est hæreditaria à parentibus in filios translata, cujus dispositio in utero contrahitur, alia minus talis & causis adventitiis unice adscribenda. *V. ÆTATIS* modo juniores aggreditur, quæ rarior juxta *Hippocratis* effatum *Sect. VI. aph. 30.* maxime si cælibes fuerint, modo senes & ætate proVectos adoritur, quibus frequentior, ita ut certo sensu morbus senilis dici possit, sed quandoque mitior ob minorem sanguinis orgasmum atque passionum animi impetum. *VI. DOLORIS*, qui & gradu sive vehementia & specie seu sensu & duratione pro temperamenti, humorum dyscrasiæ aliarumque circumstantiarum conditione non parum differt; interdum adeo mitis est, ut à quibusdam indolens vocata fuerit. vid. *E. N. C. Dec. III. ann. 7. & 8. Obs. 215.* interdum valde intensus ægrum misere excruciat. *VII. MORIS*, quo nunc contagiosa est, & alii communicatur vel cum caleeis vid. *Exc. Alberti Jurispr. Med. part. II. p. 176.* vel etiam cum vestibus *E. N. C. Dec. I. ann. 6. & 7. Obs. 143.* confer. *Helmont. de magnet. vuln. cur. §. 33.* Nunc vero talis quæ alii corpori non affricatur. *VIII. ADIUNCTORUM*, quædam nodosa, alia eorum expers, alia item simplex est & nullo alio morbo comitata, alia vero cum quibus-

dam

dam affectibus complicata, inter quos nephritis & calculus principatum tenent. IX. STATUS ægri post paroxysmum, quo alii rigorem atque stuporem intercalari etiam tempore in parte affecta sentiunt, alii vero expeditius deambulandi facultate gaudent.

§. IV.

NUNC SIGNA nobis recensenda veniunt, quæ in DIAGNOSTICA, & PROGNOSTICA, uti Medicinæ Tyronum neminem latet, dispesci solent. ANAMNESTICA studio hic omittimus, quia §. 15. & seqq. de illis quædam dicentur. Circa DIAGNOSTICA probe observandū est discrimen podagræ in regulare & irregularem, illa ut plurimum vere & autumno juxta Hippocratis effatum *Sect. VI. aph. 55.* quasi subito & repente, uti vulgo persuasum est, adoritur, quod accidentia prægressa sive præterita symptomata, quæ mox exponenda sunt, negligere solet. Imminente quippe malo raro cruditatem ventriculi seu ἀπεψίαν vid. *Helmont. Tr. de sed. anim. §. 9.* attendunt, Medicoque aperiunt, uti nec dolorem mussitantem, queh à levi causa externa persentiscunt, laborantes declarant; verum, si quid revelant, accusant modo calceamenta, modo aliud impedimentum, quod gressus fatigat & aliquatenus impedit, & quamdiu malum in incunabulis est, vix sibi persuadent, aut saltem aliis confitentur, se podagra laborare. Quem morem fere epidemicum lepide exposuit *Seneca Epist. 53.* his verbis: *Pedes dolent, articuli punctiunculas sentiunt: adhuc dissimulamus, & aut talum extorsisse nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse. Dubio & incipiente morbo queritur nomen, qui talaria cœpit*

*intendere & utrosque pedes dextros fecit (distorserit) necesse est podagram fateri.* Modo recensitis ventriculi incommodis neglectis, accedit intumescencia corporis, ventosa quasi gravitas, quæ sensim augetur, usque dum descensus per femorum carnes, præeunte eorum languore & torpore sentiatur, cum affectione spasmodica, horrore, rigore & febre aliquali pulsusque frequentia pro febris gradu diversa; appetitus insuper plerumque dejectus est, interdum magis urget; alvus primis diebus fere adstricta, & quoties novus redit paroxysmus, ita se habet; non minus molestia & anxietas præcordiorum accedit. Infallibile autem signum esse fertur, intumescencia venarum membro laboranti circumscitarum.

§. V.

Inter præsentis mali signa eminent dolor intensus, occupans articulorum ligamenta, membranas & periostrium pedem extremum ambientia & connectentia, primum pollicis, dein latius se diffundens reliquorum digitorum, post metatarsi & tarsi ossium, tandem & tali vel alterutrius vel utriusque; hic dolor vero sentitur, ac si luxatio ossis & partis affectæ facta fuerit, cum sensu quasi aquæ frigidæ superfusæ, & gradatim intenditur, motusq; impotentiam inducit. apparente vero tumore & rubore paululum mitigatur. Erumpit interdum cum vomitu paroxysmus, prægressa nausea, plerumque circa vesperam aut noctem, & æger, qui absque multo incommodo lecto sese commisit & somno indulgit, ab eodem quandoque excitatur. Tristis hæc sensatio non modo somnum intercipit, sed & inquietudinis magnæ & perpetuæ

petuæ quasi situs mutationis causa est; post decursum autem temporis, quo opus fuerat ad discussionem & veluti digestionem materiæ peccantis, dolor intermittit & cessat, qui etiam pro illius quantitate & natura differt. Conatur quoque æger corporis & membri, quantum valet, affecti mutatione frequenti dolorem hunc demulcere, quo corpus defatigatur, & paulo post aliqualis mador, teste *Bartholino in Act. Hafn. Vol. IV. Obs. 59.* erumpit, tandem somnus supervenit, quo finito dolor quidem sensibilibior abest, sed aliqualis tumor in membro vexato in conspectum venit. Ast raro prima vice hoc malum penitus depellitur, quin potius sequitur alius paroxysmus; qui ratione novæ materiæ accedentis augetur, & symptomata quandoque majora infert: imo & interdum tertius accedit, quibus ut plurimum aliquid levaminis misero ægro conceditur. Differt & parte affecta, ita quidem, ut nunc alteruter tantum pes, nunc vero malo crescente & materia abundante, uterque affligatur. Paroxysmus mutatur ratione materiæ peccantis ut & dolor, qui cum paroxysmo circa vesperam singulis fere diebus ægrum invadit, circa horas matutinas (juxta *Senecæ* verba; *nemo diu valde dolet*) remittit, sub finem illius pruritus affligit & squammæ furfuraceæ acutæ succedunt.

### §. VI.

In inveterata & habituali nodi substantia tophacea infarcti elevantur, nodosa ideo dicta, articuli, inprimis digitorum incurvantur, atq; ad motum plane inepti redduntur. *E. N. C. Dec. 1. ann. 2. Obs. 64.* quandoque, sed rarius, exulcerata fit, de qua  
vid.

vid. *Act. Berol. Dec. I. Vol. VII. p. 27.* & *Joh. Schenck. Lib. V. Obs. Med. 154.* & , quod oppido raro fieri solet, in ulcere vermiculi germinant. conf, *E. N. C. Dec. III. ann. 2. Obs. 106.* Quibus addendum, quod vel crebrius recurrentes vel diutius articulos affligentes paroxysmi vestigia sui relinquant, nempe torporem, debilitatem & inactionem membrorum, item emaciationem partium præprimis suræ in tibia: vid. *Gregor. Horst. Part. II. Lib. III. Obs. 3.* Annotare porro liceat, ultimos paroxysmos prioribus mitiores esse ratione durationis atque vehementiæ doloris, quippe qui nihil aliud sunt, quam series & ordo symptomatum ab illa methodo pendentium, qua uti solet natura in materia morbum comitante foras pellenda. Quæ omnia à *Thom. Sydenham*, uti aliorum morborum, ita præprimis hujus Experientissimo, utpote cui per integros triginta & quatuor annos cum illo conficiendum erat, in *Tr. de Podagra*, & è *Veteribus Cæl. Aureliano Morb. Chron. L. V. c. 2.* quoad minimas circumstantias delineata sunt. Unicum hoc signum addamus, à quo medicastri & empirici magnam sibi à plebe & vulgo famam aucupantur, ab urinæ inspectione omnia morborum symptomata expiscaturi, quæ uroscopia vel fraudis vel falsitatum plenissima est; siquidem quod ab emissariis nuntiatum illis fuit, non præ- sed postdicunt, sive à longo exercitio empirico sibi acquisiverunt historiam quandam morborum generalem. Ne autem urinæ inspectionem damnare videamur, non omittere lubet, urinam podagricorum intuentibus se offerre rubicundo colore tinctam, crassam & turbidam, cum sedimento rubro, farinaceo, quandoque etiam albo

albo, non tam arenulis, quam salibus crySTALLISATIS partim fundum petentibus, partim & quidem magis circa vitri parietes post refrigerationem concrefcentibus, quales in arthriticis morbis occurrunt; eadem quoque ab assumptorum liquidorum copia differt, siquidem non nisi tertia eorum pars per vias urinarias evacuatur.

§. VII.

Hæc sunt præcipua signa regularis & fixæ podagræ; longe aliter autem se habet irregularis, quæ juxta modo laudatum *Sydenhamum* vel diuturniori morbi pertinaciæ, vel præpofteræ medicationi debetur, & non pedes modo, sed modo hanc modo aliam partem occupat atque discruciat, & diversimode homines aggreditur, de qua vero sermo nobis proprie non est, non nisi de fixa ab Antiquioribus appellata dicturis.

§. VIII.

Sed satis de his dictum, pergamus ad SUBIECTA, quæ plerumque hoc malum experiuntur. In quibus recensendis, vitio, uti opinamur, nobis nemo vertet, si seculum nostrum ab Hippocratis ævo distinxerimus; utpote qui eunuchos, mulieres, nisi menstrua defecerint, atque pueros ante veneris usum hoc malo haud corripit *Sect. VI. Aph. 28. 29. & 30.* pronuntiavit. Nam quod eunuchos attinet, immodico veneris usui hunc affectum unice adscribendum esse haud arbitramur, quin potius censemus, non omnes illos ab eodem immunes vivere, si dispositio hæreditaria subsit, aut alia causa antecedens concurrat, aut si intemperato vini generosioris usui vel otio ni-

mium indulgeant. Sic *Jac. Hollerius* se eunuchum podagricum novisse refert. Neque mulieres ab hoc malo quondam infestabantur, sed cum hodie perversi sint quarundam mores ad luxum & libidinem compositi, quid impedit, quo minus & harum aliqua podagra laborent? Proinde *Seneca Epist. 95.* in illas invehitur, quæ per luxum Hippocratem mendacem reddunt. Et *Mart. Lister Anglus Exerc. Med. 6. de arthrit. apud nos*, inquit: *is aphorismus (Hippocratis supra allegatus) minus verus est; cum infinite instantiæ occurrunt podagricarum mulierum, etiam quibus menstrua bene respondent.* Sæpe laudatus *Sydenham* vero inter eas non nisi vetulas & viragines, seu corpore masculorum habitum æmulantes ea infestari asserit. In pueris nescio an morbum hæreditarium exceperit; in contrarium enim prostant exempla, uti & puellarum, utut rariora earum, quæ nonnisi decem vel duodecim annos natæ hoc malum aliquando incurrerunt. vid. *E. N. C. Dec. I. ann. 8. Obs. 12. & Salmuth Cent. III. Obs. 53.*

§. IX.

Progredimur ad ea subjecta, quæ morbo huic articulari frequentius exposita esse observantur. Ille plerumque invadit senes, juxta *Hippocratem Sect. III. aph. 31.* utpote in quibus spirituosæ particulæ magis deficiunt, fibræ & tonus partium relaxatus, digestiones item atque secretiones non rite succedunt. Viros item consistentis ætatis, floridi, turgidioris & spongiosioris habitus, qui victu lauto & opiparo utuntur, otio & potui generoso atque largiori indulgent, præterea ingenio acuto præditi, rarius graciles & maci-

lenti

lenti, magis ea temperamenta, in quibus sanguineum prædominatur. Ætate florentes quandoque corripit, ut *Sydenhami* verbis utamur, *quoties scilicet infelicia morbi semina à parentibus quasi ex traduce acceperint, vel si hoc non fuerit, immodica veneri præmaturius indulserint, aut exercitiis omnino valedixerint: adde & Baccho strenue litarint, non minus animi pathematibus, præ aliis iracundiæ se manciparint. Pauci autem juniores vera & genuina vexantur, sed leviculam aliquam quasi vellicationem præsentunt: plures divites diætæ lautæ dediti, hinc Dominorum Morbus *Die Herren = Kranchheit* / uti & Morborum Dominus vocatur, illud *Camerar. syllog. memorab. Cent. IV. part. 7.* explicat. Experientia etiam docet, opulentos antea, sed pauperes factos paucotenuisque victu instituto corpusque laboribus exercentes ab hoc malo vindicatos fuisse, vid. *Joh. Schenck Libr. V. Obs. Med. 129. & Casp. à Reies Elys. jus. quest. Camp. quest. 88.* raris exemplis ostendit, lautæ & oppiparæ mensæ in simplicem, frugalem ac pauperculum victum mutationē hunc affectum curasse. Confer. *Camer. Syll. memorab. Cent. IV. part. 5.* Quæ vero ætas & quod hominum genus ab hoc affectu quam maxime excrucietur, post *Sydenhamum* nervose, uti solet, describit *Georg. Bagliv. Prax. Med. Lib. II. cap. 6.* his verbis: *podagra, dolorosus articulorum morbus illos præ cæteris invadit senes, qui, postquam meliores vitæ annos mollius ac delicatius transegerunt otio, crapulis, veneri, vino, aliisque spirituosissimis liquoribus uberius indulserint, ingravescente jam ætate ab exercitiis, quibus juvenes assueverant, desuescunt & vitam omnino otiosam degunt.**

§. X.

SUBIECTUM speciale, cui inhæret, aut pars dolore affecta primario est pes extremus, seu pars extremitatis inferioris ultima, ejusque articuli, in principio plerumque pollex illius, qui dolor postea per totum pedem diffunditur. Principales vero partes, quæ patiuntur, sunt membranaceæ, ligamentosæ & tendineæ, magna in copia hoc membrum, utpote è pluribus numero ossibus compositum, cingentes & investientes, imo & periostium ibidem locatum per consensum afficitur. Hæc organa exquisito sensu gaudere neminem latet, quia uti aliæ corporis membranæ nerveæ & ligamentosæ quamplurimis fibris nerveis dotatae sunt, maxime periostium, quod non modo per se valde sensibile est, sed & ossibus, quibus adjacet, sensum impertit; quæ multum distentæ aut à materia acri & vellitante irritatæ non possunt non sensationem illam molestam inferre. In juncturis potissimum sedem fixam habere dolorem, nomen arthritidis vid. supra §. 2. indicare videtur, tum & quia ille ipse. à levissimo partium & ossium motu non parum exacerbatur. Id quod non inficiamur, hoc unicum addentes, quod intra membranas, ligamenta & tendines humores vitiosi magna ex parte hospitentur, quæ impedita & motui obtemperare nescia hunc effectum producere in propatulo est. Quæstionem hic movere haud alienum est, cur artus & potissimum inferiores primum, tum in principio morbi, tum etiam in ejus progressu vehementius affligantur, cujus phænomeni rationes sequentes esse possunt. I. Quia pedes à corde remotissimi, adeoque humorum stagnationi præ aliis

aliis obnoxii sunt. II. calor natus ibi minor est, quam alibi. III. hæ partes à frigore externo aut terra humidior magis patiuntur. IV. à motu & ingressu multum debilitantur. V. à calceis arctioribus, uti moris est, non parum comprimuntur. VI. partes nerveæ, membranaceæ & tendineæ hic luxuriant. VII. humores in ætate senili, quæ huic malo præ aliis exposita est, experientia teste, ad partes inferiores ruunt. Conf. *Joh. Dolæi. Tr. de fur. podagr. lact. vict. c. IV. §. 4. & Camerar. Syllog. Memor. Cent. XII. part. 2.*

§. XI.

Cum vero morbi nostri CAUSA efficiens cognita esse debet, uti eleganter Tullius, Medici, inquit, causa morbi inventa curationem inventam esse putant, ad eam pro ingenii modulo explanandam nos accingimus. Quæ cum multiplex sit, illa probe distinguenda est; & primo loco, quod IMMEDIATAM spectat & PROXIMAM, eam in fibrarum membranacearum, ligamentosarum atque nervearum distensione justo majore, expansione, irritatione, vellicatione atque contractione spastica non inepte poni arbitramur, orta à decubitu, congestione & stagnatione cum sanguinis tum etiam seri dictis in partibus facta, quæque CAUSÆ MEDIATÆ & PROXIMIORIS nomine venire potest. Probat illud tumor partis laborantis rubicundus & urens, qualis in inflammatione partium occurrere solet; item dolor pulsatorius pro subjecti conditione magis minusve perceptus: qui sanguis diutius stagnans acrimoniam induit; præprimis serum salia cujuscunque naturæ solvens se-

cumque vehens acrius redditur, atque sensus hujus molesti causa evadit. Uti vero pathologia falsa, seu ut clarius loquamur, falsa prædominantia non unice in causarum materialium censu allegari, ita illa tanquam stagnationis consequens non omnino proscribi debent. Sunt enim qui nonnisi acidam aut falsam humorum dyscrasiam immediatum dolorosorum pathematum auctorem in scenam producunt, ac si ista esset Trojanus ille equus, è quo tanta morborum articulos varie afficientium caterva prodiisset semper & adhuc prodiret. vid. *Act. Berolin. Dec. I. vol. 10. p. 68.* omissa humoris vitalis abundantia, orgasmo & ad certa loca decubitu. Quin quod inter se disceptant, quodnam salis genus accusandum proprie sit, dum alii acido, utpote præ reliquis pungente atque rodente, uti *Helmontius* atque *Ettmüllerus*, quidam tartareo, uti *Frid. Hoffmann. Prof. Halens. Celeb. Med. Rat. Syst. T. IV. P. II. §. II. c. II.* multisque rationibus evincit, alii alcalino & lixivioso potiores hic partes tribuunt, his potissimum rationibus inducti, quod podagricorum sanguis plus salis alcali quam ille sanorum contineat, tum & quod substantia tophacea è nodis podagricorum erumpens manifeste sit alcalina. vid. *Joh. Colbatch Tent. phys. de alcal. & acid. resp. morb. cur. & Tr. de podagr.* Quidam acidum & alcali conjungunt, quod *Tachenius* in *Tr. Hippocrat. Chym.* fecit. Sed nec hi cum se invicem concordant, aliis fixo, aliis volatili magis hunc effectum adscribentibus, vid. idem *Tachenius de morbor. princip. p. 438.* aliquibus etiam sal peccans in podagra mediæ inter fixum & volatile potestatis esse contendentibus, cujus opinionis est *Nathan. Lacy. Tr. de podagr.*

*dagr.* Iterum alii ab humore acri & corrosivo hoc malum derivant.

§. XII.

Anglorum quidam, inter quos recensere liceat *Clift. Wintringham Tr. de Podagr. & Rich. Bulston. Tr. de arthrit. & Th. Willisium*, his non contenti salibus pituitam seu liquidum viscidum vel sanguinis vel seri vel etiam nervorum, placito istis solenni, conjungunt, quod oleosæ mucilaginis in articulis reperiundæ crasin invertit, & mixtum quoddam peregrinum producit; à quibus non multum abludit *Clopt. Havers Osteol. nov. Disc. IV.* causam podagræ in acidum mucilaginem in glandulis juncturarum sequestrantem conjiciens, indeque phænomena & symptomata ejus explicans, præprimis illud, cur pedes frequentissime cum hoc morbo conflitentur. *Ettmüllerus Coll. Pract. Lib. II. f. 2. c. 3. art. 8.* pariter acidum cum synovia seu aqua articulari, ( *Dem Glied Wasser* ) junctum illudque inquinans accusat, idque probare conatur ex ejus condensatione in tophaceam substantiam membranarumque erosionem, cum quibus apprime convenit. *Joh. Dolæus* supra laudatus, nisi quod & acidum & acrem humorem in glandulis mucilaginosi secretum vel cum earum liquore mixtum concurrere autumat. *Joh. Bapt. Contoli* vero, dum *Inst. Med. de glutin. in corp. hum.* gluten præternaturale à variis causis prognatum allegat, ab his nihil diversum dicere videtur. A quibus salibus magis minusve fixis aut volatilibus multiplicem doloris sensum explicare conantur; nempe gravativum, prementem, coarctantem  
luxan-

luxantem, & pendentem, à materia crassiore & viscida articulis impacta derivant: punctorium, spasticum & ictum quasi clavæ metatarsum confringentis acido prædominanti adscribunt; pulsatorium vero, inflammatorium atque urentem magis ab alcalinis provenire conjiciunt, mordacem denique lancinantem atque rodentem particulis acribus & subtilibus magis deberi censent. Et sic de reliquis tristes hujus sensationis speciebus judicandum esse arbitrantur. Uti & tophos in articulis enatos nil aliud quam substantiæ salinæ & tartareæ coagulum esse contendunt. vid. *Kerckring. Spicil. Anat. Obs.* 28.

### §. XIII.

Verum aliqui Recentiorum hanc salinam humorum dyscrasiam, tot acrimoniæ effectus, totque effectos & comentitios sapes ex affectus nostri ætiologia exulare jubent, quin potius plethoram seu sanguinis abundantiam, uti plurimorum morborum, ita & hujus causam agnoscunt, ea potissimum ratione inducti, quod in temperamentū sanguineum floridum & spongiosum corporis habitum non minus ac vitæ otiosæ & diætæ lautæ deditos plerumq; cadat. Non vero plethoram sibi relictam sed à causis procatartæcicis variis v. gr. animi pathematibus, potu spirituosò &c. commotam accusant, unde fieri perhibent, ut sanguis in orgasmum concitatus à principio vitali corporis salutis invigilante mediante tonico motu aucto ad partes externas & quidem infimas, ad quas in provecta ætate facilius ruit, propellatur, eum in finem, ut ille ipse copia abundans evacuetur, sicque corpus ab ejus sarcina liberetur. Quem finem cum natura ob incompletam

congestionem non assequatur, dictis in partibus congeritur, atque supra memoratorum effectuum auctor existit. Cui abundantia humoris vitalis spissitudinem jungunt, utpote quæ illam presso pede sequitur. Quæ omnia *Jll. Georg. Ernest. Stablius* ejusq; Affectu argumentis firmissimis & solida experientia stabilitum iwerunt. Quæ theoria uti tum in hæmorrhagiarum negotio, tum etiam in alio statu p. n. fundamento suo non destituitur, multiplicique experientia comprobatur, ita dyscrasiam salinam, quæ congestionum & stagnationum consecrarium non absque ratione statuitur, è causarum remotiorum catalogo penitus proscribere dubitamus.

§. XIV.

Quod jam spectat CAUSAS podagræ ANTECEDENTES, quæ proximiorum invitant & præviam in corpore dispositionem indicant, illæ res naturales complectuntur, in quibus enarrandis initium faciamus à DISPOSITIONE HÆREDITARIA, quæ non leve hic symbolum confert; in confesso quippe est, parentes bona vel mala & moralia & physica toto die veluti per traducem filiis communicare, unde *Joh. Fernelius Pathol. L. I. Cap. XI. senes*, inquit, & *valetudinarii nephritici, arthritici & epileptici filios vitiosa constitutione gignunt, qua tandem in morbos similes, hæreditarios idcirco nuncupatos, incurrant, ut parentibus liberi succedant, non minus morborum quam possessionum hæredes.* Quo etiam pertinet illud Poëtæ ita canentis :

*Qui vires in foliis venit à radicibus humor,  
Sic patris in natos abeunt cum semine morbi.*

Quod assertum hodierna fatis experientia comprobatur, siquidem non unum prostat exemplum eorum, qui à patre podagrico nati hoc malo pariter correpti fuerunt, idque eo maturius, quo graviores & frequentiores circa dietam errores commiserunt; seminium quippe illud podagricum in corpore latitat usque ad maturationem, quod à causis occasionalibus facile in actum deducitur, atque in articulos procumbit: & quod mirum, illud non tam in filios, quam in nepotes quandoque propagari, cujus rei testis est *Vit. Riedlinus Lin. Med. ann. 3. mens. Decembr. obs. 21.*

II. Allegari meretur **TEMPERAMENTVM** podagræ familiarius expositum, quod ut plurimum est sanguineo-cholericum, rarius phlegmaticum atque melancholicum, nisi dispositio hæreditaria subsit; in sanguineo humor vitalis multum abundare solet & in partibus porosis hospitatur, qui non rite circulans ibidem colligitur, stagnat, partes distendit inque iis, maxime si sensibiliores fuerint, spasticam contractionem atque dolorem excitat, idem magis evenit, si plethora ab animi pathematibus, præprimis ira subinde commoveatur, id quod in cholericis fieri assolet. In phlegmaticis, si quando ea corripuntur, turgida corporis constitutio eo confert, & magis indolens est; de melancholico supra jam dictum, nempe macilentos & graciles illa quandoque etiam laborare, id quod facile concipimus, considerantes eorum sanguinem spissum salinisque atque terrestribus particulis imprægnatum esse.

III. **HABITVS CORPORIS** spongiosus, floridus atque turgidulus: experientia quippe probat, omnes qui eodem præditi sunt, hunc affectum facile & frequenter incurrere, nisi

nisi diæta exacta illum præoccupent atque avertant.

IV. IMBECILLITAS artuum naturalis, vel à nativitate & veluti connata, plerumque à vasorum pororumque coarctatione pendens, vel à causis adventitiis, nimio scilicet motu, deambulatione, frigido & humido aëre, distortionem, luxationem, vulnere aut ulcere proveniens.

V. ÆTAS, quæ ordinarie senilis est, hinc *Hippocrat. Sect. III. aph. 31.* articulorum dolores morborum senilium catalogo adscribit; in promptu causa est, in hac quippe ætate vita plerumque sedentaria, caloris nativi defectus, circulatio sanguinis lenta, copiosior humorum viscidorum proventus, horumque ad inferiora directio observatur, & si ætatem juniorem corripit, non tam fixa, quam potius vaga arthritidis est, aut ab insigni diætæ errore inducta, aut hæreditaria existit, morbusque incongruus ratione ætatis dici meretur.

VI. SEXVS virilis præ fœminino, nisi perversi hujus seculi mores hunc ordinem invertant, qua de re supra §. VIII. dictum fuit.

VII. REGIO, cujus intuitu in propatulo est, plures in illa podagricos reperiri, in qua vini potus ordinarius est, & quo generosius illud fuerit, uti Hungaricum, Hispanicum, &c. quo majori etiam in copia ingurgitatur, eo magis veritas nostro huic asserto constat. Dantur etiam regiones, in quibus hoc malum velut endemium est, uti Moravia, Hungaria, Austria. *vid. Roslinc. L. IV. de Articul. affect. C. 1.*

### §. XV.

Inter CAUSAS PROCATARCTICAS seu occasionales, quæ sex res nonnaturales dictas comprehendunt, primo loco allegari meretur AER, hic si

pluviosus, turbidus, nebulosus, frigidus & humidus, vitiosis & malignis effluviis, salinis item & nitrosis particulis imprægnatus fuerit, non solum huic morbo, sed & aliis producendis multum favet. Hinc verno tempore familiaris est hic affectus, vid. *Hippocr. Sect. III. Aph. 20. & Sect. VI. Aph. 55.* quippe quo humores hyeme collecti calore aëris fermentantis commoventur, fluxiliores redduntur, atque cum sanguine ad singulas partes, extremas etiam majori cum nisu amandantur, unde materia peccans tempore prægresso collecta, maxime ad debilitatas partes fertur, in minimis extremitatum vasculis stagnat, cumulatur, atque ita membranas distendit, ibique diutius hærens vellicatione & rosione paroxysmum inducit. Autumno vero tum à transpiratione, quæ æstate copiosa fuerat, imminuta, tum variis diætæ erroribus plura in corpore nostro recrementa generantur, humores ad interiora regurgitant, eoque magis quo major aëris inæqualitas quoad calorem & frigus simul concurrat, unde fit, ut recrementa in massa sanguinea detenta post ad partes debiliores & remotiores, nempe pedes deponantur. Non minus aëris mutationi aliquid tribuendum, unde est quod paroxysmus paulo ante æquinoctium vernale & post autumnale regulariter ut plurimum invadat, quam in rem curatius inquirat *Clift. Wintringham. Tr. de podagr.*

### §. XVI.

Nihil autem è rerum nonnaturalium classe ventriculi actionem magis destruit, quam CIBUS & POTUS immoderate assumtus, quod *Hippocrates Sect. II. Aph. 4.* suo jam tempore annotavit. Multi, ne di-

cam

cam omnes fere podagrici sive quantitate sive qua-  
 litate in assumendis cibis peccant. Non minus fer-  
 mentum ventriculi depravatur multiplici varietate  
 ciborum Magnatibus familiari, quam ob causam illi  
 facillime hunc in morbum præ aliis incidunt: licet  
 enim sint *εὐπεπτοί* & concoctu faciles, nimia tamen in  
 copia assumti digestionem turbant ventriculumque  
 aggravant, unde ejus fermentum iners redditur ali-  
 mentorumque solutio impeditur: quod liquidum  
 viscidius & simul acrius per ultima & angustiora va-  
 sa, inprimis quæ in extremitate inferiore sunt, dif-  
 ficulter circulatur & ibidem congeritur. Taceo ci-  
 bos sale abundantes, inter quos carnes fumo indu-  
 ratæ, pisces saliti alimenta que muria condita princi-  
 patum tenent, multum huc conferre. Sed nec er-  
 rores circa potum silentio prætereundi sunt, quo pa-  
 riter ac de cibo supra dictum fuit, ratione quantita-  
 tis & qualitatis peccatur: ii nimirum, qui vina ge-  
 nerosiora, imo & quæ acido atq; tartaro abundant,  
 magna in copia & ad ebrietatem usque ingurgitare  
 solent; item qui potui minus defœcato & facile fer-  
 mentescenti, magis qui valde spirituofo indulgent,  
 huic malo præ aliis expositi sunt. Quod enim hæc  
 & similia immoderate hausta productionibus hujus  
 affectus multum faveant tremuli *τῶν οἰνοφίλων* articuli  
 satis indicant, nec non præter experientiam quoti-  
 dianam *Jacob. Tollius Epistol. Itiner. V. p. 144.* testa-  
 tur. E contrario ex hydropotis nullus facile in hunc  
 morbum incidit, teste *Bruyerio de Re cibari. l. XVI.*  
*c. 13. & Nic. Pechlino Lib. II. Obs. 27.* Exempla podagræ  
 ex abstinentia ejus per integrum annum cessantis,  
 sed hujus copiosa ingurgitatione recidivantis vide

apud *Joh. Petr. Lotichium L.VI. Obs. Med. 3. c. 1. & Joh. Rud. Camerarium Syllog. Memorab. Cent. XIX. part. 70.* Illud enim fermentum ventriculi destruit ejusque tonum labefactat, insuper particulas tartareas in corpore adauget, quo sensu forsitan Morbus Tartareus à Paracelso aliisque nuncupatur. Vini abusum quam maxime accusandum esse porro confirmant Poëtæ Græci, qui podagram Bacchi & Veneris filiam esse finxerunt.

§. XVII.

Sed hæc de cibo & potu dicta sufficient: pari ratione SOMNUS immoderatus & VIGILIÆ immodicæ ad malum hoc procreandum conferunt, id quod ratio atque experientia confirmant: immodicus quippe somnus corpus reddit dissolutum, humores inspissat, eorumque circulum retardat: præprimis meridianus podagræ, ut & aliis morbis eandem ob causam natales præbere solet. Non minus autem nimix vigilix nocent, quæ non solum digestiones labefactant, sed & corpori nostro siccitatem adferunt, & sanguinis massam in orgasmum excitant, quo facto, maxime si plethora concurrat, humorum decubitus ad inferiora fieri assolet. Neque ignotum est, quid noxæ lucubrations afferant; quod si enim vigilix immodicæ sanitati præjudicium afferunt, multo magis illæ nocent, quibus meditationes de re quadam seria in multam noctem protractæ accedunt; ab iis quippe multi hypochondriaci, calculosi, imo & podagrici redditi fuerunt. Ut nihil dicam de iis, qui magnam noctis partem comissando transigunt, hi sane citius hoc malum sibi conciliant. Dandum vero uti aliis in rebus, ita & hic aliquid consuetudini est, siquidem ex *Hippocratis* mente

*mente Sect. II, Aph. 50. à multo tempore consueta, etiam si fuerint deteriora, infuetis minus turbare solent.*

§. XVIII.

Si vero quicquam ad valetudinem vel conservandam vel destruendam multum confert, id sane **EXCESSUS** vel **DEFECTUS** IN MOTU est. Excedit vero ille, si vehemens nimis, etiam post assumptos cibos instituat, atque nimis diu continetur, quo spiritibus animalibus nimium dissipatis chylicationis negotium turbatur. Qui si pedestri itinere suscipitur, extremitates inferiores multum inde defatigantur & debilitantur, adeoque major humorum vitiosorum affluxus eo invitatur. E contrario multi, quin plures neglecto motu quieti & vitæ sedentariæ nimis, quam par est, se dedunt, qua sanguinis circulatio, secretiones & quævis in œconomia animali functiones lente succedunt, unde varia in corpore recrementa colliguntur & cumulata ad pedes se demittunt. Et sane nullis exponi verbis potest insignis motus corporis, sed lenis & constanter atque diutius continuati utilitas, quam omnes Artis Statores & Promotores dudum agnoverunt & prædicarunt, præ aliis *Frid. Hoffmannus Prof. Halens. Celeb. in diss. de motu optima corp. medicina.* Quin & exempla prostant eorum, qui hoc malum in incunabulis existens solo motu atque labore, vini que abstinentia profligarunt, & in herba veluti suffocaverunt. Sed nec silentio prætereunda est mobilis vitæ generis in sedentarium mutatio, ætate provec̄tis familiaris, qui exercitiis diuturnis & longo labore defatigati reliquos vitæ dies tranquilliore modo transigere cupiunt, eoque ipso morbum, de quo sermo nobis

bis

bis est, sibi contrahunt. Modo dictis adstipulatur experientia, docens, podagræ magis obnoxios esse otio indulgentes lauteque viventes, quam eos, qui exercitiis & laboribus assuevere.

§. XIX.

Liceat insuper in scenam proferre ANIMI PATHEMATATA, ea quidem per accidens morbos interdum curarunt, uti plures observationes id probatum eunt; ex sua vero natura affectibus præternaturalibus natales potius præbent. Et quidem iræ primum mentionem faciamus, quippe quæ ad præcipuas non immerito causas refertur, uti in vulgus notum est. Nam quod apud *Vit. Riedlinum Lin. Med. ann. V.* & in *Act. Hafn. Vol. III, Obs. 64.* & alibi legimus, nempe arthritidem ira expugnata fuisse, ad rariora & curam fortuitam pertinet: uti etiam ab aliis animi pathematibus, qua de re aliqua exempla in medium affert *Mich. Ettmüllerus l. c.* Iracundiæ autem vehementioris effectus est, sanguini impetuosiorem motum imprimere, tremoremque ac alterationem artubus, præprimis inferioribus inferre; neque tantum sanguinem, sed & bilem nimium commovere totumque corpus debilitare solet. Verbo quicquid massam sanguineam commovet & in orgasmum excitat, ad paroxysmos podagricos generandos pariter ac renovandos aptissimum existit. In quem affectum cum plerique podagra laborantes, teste Cæl. Aureliano, proclives sint, non immerito illis exprobratur, istam nemini nisi volenti injuriam, si quæ est, facere. Quid autem immodicum Veneris exercitium atque nimia feminis evacuatio præstet, in propatulo est:

est: maxime si juvenes justo maturius & circa primos pubertatis annos eidem vacant. Inde enim fit, ut lymphæ blanda nimis, quam par est, è corpore relictis crassioribus & impuris excernatur, spiritus exhauriantur, & totum corpus multum enervetur, quæ Venus eo citius & certius hunc morbum parit, si cum Baccho nupta fuerit, juxta illud Poëtæ:

*Ut Venus enervat vires, sic copia vini  
Et tentat gressus, debilitatque pedes.*

Præterea frequentior feminis excretio humores ad partes genitales in copia invitat, qui deinde in extremitates à coitu antea debilitatas facile deponuntur. Uti autem Venus ad hoc malum disponit, ita pariter podagrici salaciores observantur, ob rationes à *Petr. Foresto Lib. XXIX. Obs. 2.* allegatas. conf. *Sinibald. Geneanthr. L. II. Tr. 2. c. 10.* Pergendum quoque ad excreta & retenta est, quæ suum pariter symbolum huc conferunt, nempe alvi successus minus respondens, transpiratio non satis succedens, sudor suppressus è pedibus maxime erumpere antea solitus. Ultimo loco prætereundum silentio non est, experientia confirmari, haud paucos, qui annotatos diætæ errores committunt, ab hoc malo immunes vivere, è contrario alios, qui satis exactam vitæ rationem à longo tempore observarunt, eidem obnoxios esse, id quod peculiari dispositioni ad humores vitiosos generandos vel corrigendos aptæ tribuendum esse censemus.

§. XX.

Quod porro CAUSAS PRÆTER NATURALES si-  
ve morbos prægressos concernit, primæ utique viæ

accusandæ sunt, quæ ab illegitimo sex rerum non naturalium usu manes suos toto die patiuntur: è quibus primum locum obtinet **APEPSIA** & cruditates in ventriculo genitæ, & cum causis mali nostri concurrentes. II. **PLETHORA** seu sanguinis tum in vasis, tum in partibus porosis abundantia, quæ eo magis huc confert, quo magis illa à variis causis vel internis vel externis commovetur. III. **CACOCHYMIA** seu dyscrasia humorum salina, quæ in sanguine, magis in sero hospitatur. IV. **EVACUATIONES SANGUINIS** finceri naturales sponte cessantes, vel arte sed mala suppressæ, sive artificiales antea assuetæ, postea neglectæ; ad priores varias hæmorrhagiarum species, inpr. hæmorrhoides externas, ad posteriores V. S. scarificationes & hirudinum applicationem referimus. V. **NEPHRITIS & CALCULUS**, in quibus sanguis ad renes congestus facile ad inferiora descendit. VI. **COLICA**, nempe **SANGUINEA** illa ab Hippocrate de intern. affection. §. 49. ileon hæmatites dicta, qua emanente idem, quod in nephritide diximus, evenire solet. VII. **DOLORES RHEVMATICI** partium inferiorum atq; ischiadici haud raro in podagram transeunt. VIII. **MALI HYPOCHONDRIACI** apparatus, qui syndrome est plurium symptomatum in abdomine sese exerentium, eo quoque symbolum confert. IX. **ULCERA ANTIQUA**, quæ diu antea manarunt, consolidata, fonticuli item occlusi, quorum materia per illos antea excreta ad partes inferiores deponitur, denique X. quandoque etiam **MATERIA IN FEBRIBUS** peccans non rite evacuata per metastasin eo defertur.

§. XXI.

Recensitis signis diagnosticis & causis, pedem pro-

promovemus ad PROGNOSIN, in qua, uti in omni morbo, ita & in hoc non temerarius sit Medicus Rationalis, nec magno promissor hiatu (quod empiricis solenne est) quia pollicitatio ante curationem nimiam excusationem postea requirit: sunt autem signa prognostica vel salutis aut mortis, vel durationis, vel modi eventus. Ratione priorum & quidem salutis habemus primo loco, quibus podagricos solemur, hunc affectum, quamdiu regularis est, certo sensu salutarem pronuntiando; quia enim materia peccans ad partes externas & ignobiliore expellitur, interna & vitalia organa ab aliis periculosis insultibus immunia existunt: unde primum insultum expertis non sine ratione gratulamur. Imo & hoc dolore vexatos, exceptis iis, quos in juventute jam corripuit, plerumque annosos fieri vulgo persuasum est, & experientia confirmat. Quare *Joh. Nic. Pechlinus L. II. Obs. 25.* morbum nostrum metastaticum vocat, nempe talem, in quo metastasis humorum vitiosorum ad partes inferiores salutari naturæ consilio & critico conatu contingit; & *Clopt. Havers Osteol. nov. Disc. IV. de arthrit.* humorem per motum criseos secerni contendit, imò & probat hac ratione à malo nostro non paucos affectus præternaturales præcaveri; nec minus *Guil. Ten-Rhyne Diss. de arthrit. hoc sensu præstare*, ait, *arthritide laborare quam febre, quoniam morbifica causa à nobilissima ad ignobiles partes divergit, quin imo articulorum hoc vexamen non modo periculi immune, verum etiam in multis aliis ægritudinibus προφυλακτικόν esse.*

§. XXII.

Hæc modo dicta uti solatio illis esse possunt,

ita è contrario animum dejiciat, quod, qui podagrā semel laborarunt, sibi in posterum imunitatem ab ea polliceri vix possunt, quia non omnis materia uno aut altero paroxysmo evacuatur, sed portio ejus ad massam sanguineam remeat novaque successu temporis turbas concitat: podagricus ergo in integrum vix restituitur. Plures hujus rei rationes vid. apud *Mart. Listerum de Morb. chron. Exerc. VI.* Quod si tamen exactam vitæ rationem atque diætæ regimen observat, hoc malum si recens & in incunabilis adhuc fuerit, vel averti penitus, vel saltem ita mitigari poterit, ut paroxysmi tardius recurrant, & si redierint, mitius & clementius ægrum habeant. Novimus hic loci virum non infimæ conditionis, qui podagram incipientem quotidiano corporis motu, moderato labore & omnimoda vini abstinentia profligavit, atque in herba velut suffocavit, adeo ut immunis postea ab illa vixerit. Brevior & mitior affectus salutem promittit, quod si vero acerbior & vehementior fuerit, ab aliquo etiam tempore invaluit, quo frequentior item paroxysmi recurrunt, & quo magis status corporis cachecticus concurrit, omnesque regulæ diæteticæ susque deque habentur, curatu difficilis ne dicam incurabilis est, eoque magis, quo magis partes affectæ atque vires multum debilitatæ & à nodis tophaceis defiguratæ sunt, eam ob rationem, quia causa morbi prior tum in motu consuetudinali, tum in acrimonia & visciditate humorum fibrarumque rigiditate & canalium coarctatione consistit, quæ omnia pristinum in statum restituere opus est atque labor non levis: de hac potissimum valet illud Poëtæ.

*Tollere nodosam nescit Medicina podagram.*

Ad podagram incurabilem referenda quoque est hæreditaria: nam unicum forsan exemplum est pueri octavo ætatis anno ea laborantis & à Mich. Ettmüllero curati. vid. *Coll. Pract. L. II. Sect. 2. c. 3. art. 8.* item quæ mature & junioribus annis adoritur, quæq; in principio neglecta radices egit altiores, deniq; quæ cum multis iisque gravioribus symptomatibus stipata aliisque morbis complicata est. Quæ porro sanabilis sit, quæve incurabilis. *Hippocrates Prædict. II. nr. 15.* recensuit.

§. XXIII.

Utut autem hæc & similia observationibus comperita & experientia comprobata sint, raro tamen lethalis per se evadit hic affectus juxta Eundem *de Affect. Sect. V.* nisi anomala sit ( quam experientia edoctus *Guil. Musgrave de arthrit. anomal. Cap. 1. §. 17.* sæpe funestam pronuntiat ) aut aliæ circumstantiæ statum hunc periculosum inferant: adeo ut qui ea moriuntur, qua tali periisse haud dicendi sint vid. *Act. Berol. Dec. II. Vol. 5. p. 65.* Inter quas præcipuæ fere sunt, si quando natura ob ætatem ingravescentem fatiscens aut vires à quacunque causa exhaustas humoribus vitiosis displodendis & ad extrema propellendis par amplius non est: conf. *Georg. Baglivus Prax. Med. Lib. II. c. 6.* malumque sedem mutare videtur, ut *Hagendornii* verbis *Cent. III. hist. 27.* utamur; tunc in corpus non tam retrocedit quam retrocedere creditur, seu, ut clarius loquamur, dicti humores vitiosi intus stagnantes ad organa nobiliora feruntur: de qua retrograda *Frid. Hoffmanni Diss. de podagr. retrocess. in corp. Vit. Riedlin. Cur. Med. ann. X.*

*Obs* 883. *Welsch Hecatost. Obs. II. E. N. C.* passim videri possunt. Præterea gravissimus & sæpe lethalis fit hic affectus, si ægri moræ & dolorum impatientes vel repetitis precibus à Medico efflagitant, vel inconsulto illo proprio ausu, aut empiricorum vel muliercularum suasu varia topica remedia applicant, nempe repellentia, refrigerantia, anodyna, adstringentia, nimirum emollientia, aut alia, quibus naturæ motus turbantur, vid. *Ros. Lentilium Miscell. Pract. Med. part. II. p. 310.* Quin potius curæ cordique habendum est salutare, quod *Andr. Lövv. E. N. C. Dec. III. ann. 5. & 6. Obs. 155.* dedit consilium, dum podagrici, inquit, diu superesse cupientes, topica repellentia, frequentiora purgantia & vomitiones, nec non copiosa sudorifera cane pejus & angue fugiant. Et hæc de prognosi quoad eventum dicta sufficient.

§. XXIV.

Durationem ejus quod attinet, notamus affectum hunc ex se & sua natura chronicum & diuturniorem esse, qui autumnali, quam qui vernali tempore scenam ludit, quo vegetior ætas, quo majus naturæ robur, quo tenuior materia peccans, item quo strictior observatur diæta, & quo magis solícite causæ eum provocantes & foventes evitantur, eo mitius decurrit, & citius finitur paroxysmus, quem etiam quandoque morbus superveniens solvit, scilicet hæmorrhoidum fluxus, diarrhoea, scabies &c. *E. N. C. Vol. II. Obs. 163.* in subjectis phlegmaticis non solum dolores mitiores sunt, sed etiam brevius tempora sua decurrunt, quam in sanguineis aut cholericis. Hippocratis effato, qui podagrici morbi fiunt,

fiunt, hi sedata inflammatione in quadraginta diebus decedunt *Sect. VI. Aph. 49.* Modum eventus *Ettmüllerus loc. supr. cit.* satis accurate nobis tradit, nempe I. morbum fere totum in articulo discuti finito paroxysmo. II. tumorem in materiam ichorosam aut saniem purulentam mutari sensimque foras exsudare, quod tamen raro contingit. III. tophos post paroxysmos relinqui, & totalem quandoque contracturam à nimia partium extensione post se trahere. & IV. paroxysmo sua tempora non absolvente materiam relictis articulis ad alias partes regurgitare & observante *Baglivo l. c.* in hydropem, dyspnoeam, paralyfin, colicam, apoplexiam aut convulsiones, adde catarrhum suffocativum, viscerum inflammationes terminari, quo facto ægrotantium salus angusto in loco posita est, & tandem ager, ut ore sæpius laudati *Sydenhami* loquamur, *visceribus à materia peccantis incubatu complexuque ita læsis, ut secretionis organa non amplius suo munere fungi queant, unde & sanguis quasi limo & faculentis refertus stagnat, & materia peccans non jam, ut olim solebat, in corporis extremitates exploditur atque rejicitur; tandem, inquam, ó τεισάδιος vitam afflictissimam, & jam diu non vitalem cum morte, ærumnarum requie feliciter commutat.*

§. XXV.

Podagræ causis atque signis, quantum instituti nostri ratio ferebat, traditis, reliquum est, ut quæ ad malum hoc calamitosum si non penitus avertendum, saltem mitigandum atque præcavendum quovis modo conferunt, subnectamus. In METHODO MEDENDI attendi alias à Medicis Practicis solent tres indica-

indicationes, curatoria, præservatoria, atq; vitalis, cui addunt illam symptomatis, è quibus hac ultima, quæ in symptomatibus urgentioribus imminuendis occupata est ad curatoriam non immerito refertur; de vitali vero, quæ vires respicit, præsentis conservando, omiffas vero recuperando, in diætâ quædam dicentur. Itaque potiffimum de curatoria atque præservatoria, & quidem de hac proluxior sermo nobis erit. Valet quippe hic illud, quod in aliis quibusdam affectibus p. n. obtinet, nempe fatius esse, morbum futurum præoccupare, quam præsentem curare velle. Hæc autem PRÆSERVATIO utut præceptis atq; cautelis non discrepet duplici tamen modo considerari potest. Alia quippe locum habet in iis, qui podagra nunquam antea laboraverant, alia vero circa eos, qui eâdem semel vel aliquoties vexati fuerunt, versatur. Qui ergo floridi & spongiosi habitus sunt, plethorici, à parente podagrâ progenerati, & ob aliqua juventutis peccata subinde commissa, vellicationes in pede molestamque sensationem vel novi calcei attritu vel diuturna & laboriosa deambulatione, vel rudiore ad corpus durius allifione persentiscunt, illi diætâ exactissima malum velut in herba suffocare studeant, sibi que ab omni etiam levi ejus errore sollicitè caveant. Quam vivendi rationem absolute necessariam podagræ candidatis nervose & velut in compendio præscripsit *Frid. Hoffmannus Med. Rat. System. T. IV. Part. 2. Sect. 2. c. 11.* scilicet ut nimiam ciborum assumptionem, copiosam vini & liquorum inebriantium ingurgitationem immoderatum veneris usum cane pejus & angue fugiant: insuper à gravioribus curis, animi laboribus, meditationibus

bus & perturbationibus sibi, quantum fieri potest, temperent, corporis vero laborem atque motum moderatum sibi præ aliis commendatum habeant. Quibus adde, ut in aëre salubri, sereno, minus humido & ab effluviis noxiis immuni, quantum possibile versentur; & si minus is conveniens fuerit, climatis mutatione, aut variis artificiis e. g. suffitu noxiam ejus indolem corrigant, neque diutius in aëre liberiore præprimis vernali & autumnali tempore commorentur, quia tepidioris aut saltem temperati inspiratio non leve symbolum confert.

§. XXVI.

Sibi etiam solícite caveant non solum à nimia ciborum quantitate ( præsertim cœna sit tenuis & modica vel etiam nulla ) sed etiam qualitate noxia, nempe à dyspeptis, nimium salitis, aromaticis, viscidis & omnibus iis, qui sanguini orgasmum vel dyscrasiam salinam conciliare apti nati sunt, eoque magis sibi caveant, quo verius est illud *Sydenhami*, *podagricos ciborum non solum in genere appetentiores esse, sed & eorum maxime, qui ventriculo difficillime cedunt.* In paroxysmo non majore ciborum copia utantur, quam quæ ad naturam sustentandam summe necessaria est. Memorabile est, quod *Scholtzius Consil. Med. p. 709.* refert de quinquagenario, qui carceri inclusus per aliquot annos soloque pane & aqua vivere coactus hoc victu à podagra liberatus fuit. Vinum modice sumatur, bene defæcatum, illudque diureticum, non nimis spirituosum aut tartaro multo imprægnatum, aqua etiam dilutum. *Celsus* quidem omne arthriticis interdicit, *Cælius vero Aurelianus* non tam ejus

E usum

usum quam abusum damnat. *Sydenham* a pepsiam  
 tanquam causam præcipuam accusans tantillum Cana-  
 riensis seu Hispanici pro iuvanda digestionem com-  
 mendat. Quod si vero stomachus nullas contra  
 aquam quærelas movet, tutius est illa cum appro-  
 priatis decocta uti, quod cum seculi hodierni mor-  
 ribus convenit, quibus haud pauci hæmorrhagiis  
 doloribus aut sanguinis orgasmo correpti aquæ potui  
 vel penitus, vel magna ex parte se mancipant. Inter  
 decocta laudari præ aliis meretur Viennense, quod à  
*Conr. Barth. Behrens in Miscell. Berol. T. I. p. 2. §. 7.*  
*& E. N. C. Cent. I. & II. Obs.* si. multum extollitur, atq;  
 è Rad. Polyp. qu. Hermodact. Chin. chin. Sarsapar.  
 Lign. Quajac. paratur, quodque in paroxysmo eodem  
 modo, quo præscriptum est, extra eundem vero mi-  
 nus saturatum atque dilutius locum habet: quibus  
 vero cerevisia potus ordinarius alias est, illis tenuem  
 probeque defæcatam relinquimus. Præterea mo-  
 tum, quem supra §. XVIII. operose commendavi-  
 mus curæ sibi cordique habeant, sed moderatum &  
 continuatum; quem si virium imbecillitas non per-  
 mittit, curru frequentius aut equo vehantur; sin vero  
 & hoc corporis exercitium vires minus ferunt, & pod-  
 agricus ad quoscunque motus suscipiendos impotens  
 est, voce, nempe canendo vel libros alta voce legen-  
 do ex consilio *Baglivi l. c.* sese exercent; non mi-  
 nus suavia cum amicis colloquia, præter quod ani-  
 mum recreent, efficax dolorum solatium sunt, de  
 quibus vid *Cass. à Reies Elys. Juc. Quæst. Camp. quæst.*  
 88. id quod in paroxysmo locum magis habet. Sic  
 & in somno atque vigiliis modus servetur; ille ne-  
 que longus nimis neque nimis brevis sit, hæ mode-  
ratae

ratae sint somno tamen longiores, ne humores inspif-  
sentur spiritus dissipentur aut alia ratione affectus ac-  
celeretur. *Sydenham* valde proficuum esse judicat,  
ut aeger maxime hyemis tempore mature lectum pe-  
tat. Porro excretionibus ad sanitatis conservatio-  
nem necessariis vacent, nempe ut transpiratio insen-  
sibilis bene succedat, alvus debite respondeat, uti &  
sanguinis evacuationes naturales promoveantur ema-  
nentesque revocentur, vel si hoc fieri nequit, vi-  
cariæ & artificiales substituantur. Insuper ab animi  
pathematibus præprimis ira, genuina podagræ ge-  
netrice sibi quovis modo temperent; è contrario a-  
nimi tranquillitatem omni ope stabiliant, cum per-  
turbationes ejus quæcunque malum vel accersant,  
vel præsens foveant. De temperantia circa Vene-  
rem nihil addimus, persuasi eos, qui podagram fu-  
turam metuunt, vel jam experti sunt, hanc ipsam  
curate servaturos, qui vero non possunt, adeant *Sy-  
denhamum loc. cit.* & invenient, quam improvide rem  
suam agant. Quæ regulæ diæteticæ ad subjectorum  
varietatem determinatæ uti ante malum ingruens,  
ita strictius & religiosius, si illud jam aliquoties in-  
vasit, strictissime in ipso paroxysmo observandæ sunt,  
quia in hoc morbo fere plus efficiunt, quam quævis  
remedia è pharmacopolio petita, juxta tritum illud:

*Abstine & efficies, quod Medicina nequit:*

seu, uti *Nathan. Lacy Tr. de podagr.* loquitur, *qui ab-  
stinere & sustinere noverit, illum medicamentis pro cura  
haud indigere.* Cum quibus concordat *Crato Consil. 161.*  
qui nihil nisi rectam victus rationem podagricis consu-  
lendam esse arbitratur. *Sorbait item Prax. c. de ar-  
thrit.* diætam optimam & unicam arthritidis curandæ

viam esse inculcat, nec non *Baglivus Prax. Med. L. I. c. 9.* omnia remedia podagricis præscripta inutilia propemodum esse judicat, nisi vinum, Venus, otium, & crapula temperantius usurpentur.

### §. XXVII.

Utut autem hæctenus stabiliverimus exactum vitæ regimen omnem fere paginam in affectus nostri medela absolvere, nihil ominis illi minus recte agere nobis videntur, qui media quæcunque alia proscribunt, vel quia malum semper pro incurabili habent, vel ab eorum usu idem exacerbari autumant. Quare æquum est, ut earum quoque mentionem injciamus. E FONTE CHIRURGICO primum fit *V. S.* quam *Celsus L. IV. de Re Med. cap. 24.* in principio paroxyfmi, quamprimum dolor arthriticus sentitur, commendat: *Sydenham* vero & extra insultum & in eodem præprimis in ætate provectioribus rejicit. Nos ad subjectum, tempus paroxyfmi, morbos antecedentes pariter ac consuetudinem respiciendum esse censemus: nempe in plethoricis *V. S.* ni assuetis, malo tempore vernali vel autumnali imminente, evacuationibus sanguinis sinceri sponte cessantibus aut suppressis, istam non facile omitti posse, hac tamen cum cautela, quod præservatoria seu quæ extra paroxyfimum administratur, illa, quæ in eodem instituitur, præstet; & quidem versus æquinoctium tum vernale tum etiam autumnale, quo malum recidivare solet. Vid. *Act. Berol. Dec. II. Vol. I. p. 74.* Mature etiam, satius quippe est hac prævenire quam ab illo præveniri. Et quidem in pede ista celebretur, quia natura, monente *Hippocr.* eo, quo vergit, ducenda est. Non leve quidem du-

dubium nobis movet illud, quod sanguinis missio in pede facta humores eo invitet, si vero in brachio illa instituat, periculum est, ne sanguis ad superiora & simul ad partes internas atque nobiliores derivetur, podagræq; anomalæ ansa præbeatur. Utrumq; non adeo metuendum, si extra paroxysmum, non vero in eodem vel imminente vel præsentem admittitur. Quantitatem sanguinis evacuandi corporis constitutio, ætas, vires aliæque circumstantiæ determinabunt. **CYRBITVLÆ SCARIFICATÆ** à quibusdam laudantur, tribus ante vel post novilunium diebus aut in ipso ejus momento pedis dorso applicitæ, quarum usum suadere videtur spongiosus podagricorum habitus, in quo potissimum conveniunt; sed si dicendum quod res est, illis ipsis magis quam V. Sine humores ad partem affectam invitantur, & *Crato trium Imperatorum Archiater* miseros factos esse eos, qui ejusmodi scarificationes susceperunt, *Epist. Med.* 152. refert. Eodem modo se res habet cum *Hirudinibus* membro laboranti applicitis; commode vero venis hæmorrhoidalibus apponuntur, si quando ab earum fluxu non rite succedente malum ortum fuerit. *Friktiones* & *sinapismi* plantis pedum adhibiti in podagra anomala & retrocessionem minante usu suo non destituntur. Quid vero à *fonticulis*, *vesicatoriis* vel etiam *cauterio actuali* expectari poterit, haud videmus: ad hoc referri potest *moxa*. adeo celebratum apud Sinenses & Japonenses in curanda arthritide remedium, de quo *Herm. Buschovius pec. Tr. de podagr. per. mox cur.* conscripsit, *conf. Valentini Diss. Epist. 8.* aut quæ ipsi substitui poterit *moxa germanica* à *Cel. Wedel. in E. N. C. Dec. II. an. 1. Obs. 6.* indicata.

## §. XXVIII.

FONS PHARMACEVTICVS plura nobis remedia sup-  
 peditat, tam universalialia quam particularia seu specifi-  
 ca; ex illorum censu sunt *Evacuantia*, & quidem lenio-  
 ra & minorativa, sanguinem non nimium commoventia.  
 Equidem Sydenham suo æque ac aliorum periculo edo-  
 ctus non tantum fortiora, sed & leniora exulare vult,  
 ea de causa quia materiam peccantem quam natura  
 in corporis extremitates protruserat in sanguinis mas-  
 sam revocant, quod verum esse largimur, si eo tem-  
 pore, quo humores in motu ad inferiora sunt, propi-  
 nantur, extra illud vero & quando omnia tranquil-  
 la sunt, illa proficua esse autumamus, utpote quibus  
 mali fomes, si non omnis, quidam tamen corpori sub-  
 trahitur: commendamus hoc nomine pulverem è  
 rad. polypod. q. sarsaparill. hermod. turpeth. vegetab.  
 fol. fenn. scammon singulis mensibus luna decrescen-  
 te assumendum; de annuis aut semestribus purgatio-  
 nibus vid. *Zacut. Lusitan. de Princ. Med. Hist. L. III.  
 hist. 48.* Vomitoria pro podagra qua tali non con-  
 veniunt. *Diaphoretica* quoque fortiora minus con-  
 ducunt, quia sanguinis orgasmum augent, adeoque  
 malum sæpius exacerbant; è contrario lenis mador  
 utilis est præprimis in paroxysmo, si non totius cor-  
 poris, saltem membri laborantis, quippe quo materia  
 stagnans per poros cutis sensim eliminatur atque  
 disploditur. *Diuretica* multum prodesse *Hippocrates  
 Sect. IV. Aph. 74* innuit; neq; negandum salium in M. S.  
 copiam per vias urinarias educi, sed cum grano salis  
 & scopo præservativo extra paroxysmum danda sunt.  
*Digestivis* atque *Stomachicis* multum & forsan nimium  
 tribuit sæpe laudatus Sydenham, ut indigestionibus  
 medeatur. *Alii preparantia, incidentia, diluentia*

*& absorbentia*, interque ea martialia & è tartaro præparata referunt. Quidam *mercurialia* laudant, eo inducti, quod soluta aliquando ptyalifimo fuerit podagra, quæ tamen proscribunt *Hildanus Cent. IV. Obs. 82. & E. N. C. Dec. 11. Ann. 2. Obs. 157. & Ann. 4. Obs. 120.* Præ aliis longo tempore multis encomiis commendatus fuit *lacticiniorum* usus, de quibus *Joh. Dolai Tr. de furia podagræ lacte victa & mitigata* extat, in quo modum utendi prolixè tradit, ostenditque qua ratione lac rite adhibitum hunc hostem atque tortorem expugnet, quem *γαλακτοποσίας* affectum *Joh. Georg. Greifelius Tr. de cur. lact in arthrit.* rationibus illustrat & exemplis confirmat. Et sane non immerito laudatur hoc è regno animali petitum remedium, utpote quod dolores in paroxyfimo egregie demulcet & extra eundem dyscrasiam salinam potenter corrigit; sed & silentio prætereundum non est, quod aliqui objiciunt, illud, si acidum in primis viis hospitatur, eiq; non paulatim adsuescunt, facile coagulari, ab eoque sanguinis abundantiam augeri; quare hoc arthriticorum alias solatium non omnibus subjectis æq; proficuum esse experientia docet, pluresque caute- las circa lactis selectum atque usum adhibendas esse, quas *Phil. Jac. Sachs. à Löwenheimb in E. N. C. Dec. I. Ann. 1. Obs. 141.* inculcat. Quibus neglectis sinistra haud raro eventus oriuntur, quorum aliqui in *Commerc. Litter. Norimb. 1732. hebd. 4.* recensentur. Notari etiam meretur, quod si vel maxime ægrorum voto respondeat ejus usus, quando seposito illo ad pristinam diætam redeunt, quam nausea inde concepta quandoq; imperat, aut malum debellatum suadet, paroxyfimos facile reverti. In quam lactis curam & quosvis il-

los, qui eam extollunt, acriter invehitur *Nic. Heinsius Tr. de podagr.* omnemque effectum, si quem præstat, non tam ipsi lacti quam potius diætæ, quæ usu ejus durante observatur, adscribit. Quicquid autem sit, in confesso est plus solatii arthriticis à rite adhibito & continuato lactis usu quam ab ullo alio remedio expectandum esse. *Opiatis* encomium plane nullum debetur, utpote quæ quacunque in forma assumta minus tuta sunt, dum metastasin ad interiora præprimis cerebrum inferunt, humores figunt, inque articulis magis incarcerant, quod *Rich. Boulton de arthrit.* probat; insuper topfos accelerant, aliosq; effectus sinistros edunt. Quibus adstipulatur *Car. Rayerus in E. N. C. Dec. III. Ann. 2. Obs. 23.* ego sane, inquam, in podagricis doloribus nihil magis horreo quam medicamenta narcotica, idque tristi exemplo comprobatur.

### §. XXIX.

Non pauciora remedia *Externa & Topica* Medici Practici deprædicant, de quibus *Sydenham* asserit, nulla sibi cognita esse præter *refrigerantia & repellentia*, eorumque usum periculo haud vacare, quia materiam peccantem ad interna viscera regurgitare faciunt; & de his potissimum intelligit ea, quæ paulo post subjungit; nempe *maximam partem eorum, qui podagra perisse putantur, non tam ipso morbo quam sublesta & indebita medicatione fuisse peremptos*, quorum refer *emollientia*, quibus major affluxus ad partes relaxatas invitatur, *emplastica* item & *cataplasmata* varia, scopo resolvendi & discutiendi applicita, nec non aquâ frigidâ *falsam*, ipsam etiam *nivem*, quæ ad miraculum

lum

lum juvasse perhibentur. vid. *Nic. Pechlinum Lib. II. Obs. 28.* & in *E. N. C. Dec. II. ann. 10. Obs. 94.* ut & alia, quibus jam recensendis supersedemus. Tantum enim abest, ut naturæ motus supprimendi aut repellendi quin potius promovendi sint. Et si paroxysmi furor & acies his & similibus retunditur, non solum diutius affligit, sed & brevius erit spatium à novo insultu liberum. In memoriam potius revocamus cautelam *Frid. Hoffmanni loc. cit.* scilicet ad mitigandos artuum dolores cautissime (præsertim in paroxysmo) cum topicis procedendum esse, quæ multiplici experientia teste plus damni quam emolumenti attulisse constat. Hinc nulla alia suadet quam culcitræ levioribus plumaceolis involutas, & cataplasma è mica panis filig. lacte, vitell. ovi, croco & flor. sambuci paratum, addita rad. hyoscyami, quam *Job. Nic. Binningerus Cent. V. Obs. 39.* suadet. Quibus adjicimus pellem leporinam, volatile vivum discerptum & parti affectæ, uti calet, impositum, urinam microcosmicam, sacculos item siccos è nervinis & resolventibus vegetabilibus compositos. In fine paroxysmi aut extra eundem ad reliquias mali tollendas, partem roborandam, tophosque præcavendos commendari solent thermæ pediluvii præferendæ, quas inter *Frid. Hoffmannus Carolinas* deprædicat, quibus non certius, non efficacius & magis genuinum in ejusmodi affectibus & avertendis & minuendis remedium esse affirmat, in quarum defectu aliæ quoque, ut & balnea calida locum habent; quandoque usum præstant vinacea. Tophos in specie & quidem recentes resolvunt *Empl. Hartmanni, Timæi, diasulphuris Rulandi, de ranis Vig. c. ♀. Balsamus Sulphuris, alia-*

que potenter discutientia, hinc inde in Actis & Ephe-  
 meridibus Eruditorum decantata. De cura magne-  
 tica, sympathetica & transplantatoria, qua affectus ar-  
 thriticus vel in animalia, nempe catulum parti la-  
 boranti admotum, vel gallum gallinaceum aut etiam  
 in vegetabilia transfertur, nihil addimus, Benevolum  
 Lectorem ad *Th. Bartholini Epist. de transpl. morbor.*  
*Læselium Tr. de podagr. Petr. Borellum Cent. III. Obs.*  
*28. aliosque remittentes.*

§. XXX.

Tandem delabimur ad remedia, quæ *specificæ*  
 dicuntur, hoc vero titulo plerumque non digna, in-  
 ter quæ præcipua sunt arcanum Cnoëffellii, de quo  
*Welsch. Hecatost. II. Obs. 100.* Illud Heinsij Tract.  
 supr. cit. subjunctum, Essentia vel Extractum rad.  
 aristolochiæ ab aliquo tempore valde celebratum  
 vid. *E. N. C. Cent. V. Obs. 66. & Cent. VI. Obs. 86.*  
 Specificum antarthriticum Helvetii, secretum antipoda-  
 gricum Episcopi Monasteriensis, à *Mich. Bernh. Va-*  
*lentini Prax. Infall.* descriptum, Pernerii appropria-  
 ta in *Consil. antipodagr.* exhibita, saccharum lactis cry-  
 stallisatum, radicem Nadrugalæ vel Barrierabravæ,  
 balsamum antarthriticum Burrhi, Herculem anti-  
 podagricum à *Nathan Lacyloc, cit.* deprædicatum &c.  
 Neque magno volumine quis complecteretur, quæ-  
 cunque laudantur & circumferuntur antipodagrica.  
 Plurimum farraginem *Joh. Car. Spies Sched. de arthrit.*  
*cit. tut & juc. cur.* congeffit, quorum pleraque ægrum  
 voto & effectu destituunt, vel etiam effectum, si  
 quem præstant, non tam his, quam regimini exacto  
 adscribendum esse censemus. Interim non pauci  
 Thraſonico ore & more jactitant hydram hanc ler-  
 næam

næam ab ejusmodi remediis arcanis, uti vocant, expugnari, & re ipsa expugnatam esse, quos inter allegamus *J. C. Geilfusium*, qui in *Tr. Truz Podagram* inscripto, cum dolores, tum etiam fomitem ejus duobus remediis secretis à se inventis penitus eradicare, idque sine ullo recidivæ metu, & in cujuscunque ætatis subjectis non absque jactantia pollicetur. Sed si dicendum quod res est, nec hæc nec alia quæcunque, sive specifica sive arcana tantis laudibus & encomiis ornata, podagram funditus curare experientia hæctenus comprobavit, quin potius dolores ad tempus sopiti brevi post & quidem accerbiores ab eorum usu haud raro redeunt, uti recte judicant *Coll. Hist. Morb. Vratislav. 1699. p. 138.* Neque de modo memoratis specificis solum, sed & de plerisque aliis tam internis quàm externis remediis parùm solatii atq; præsidii quærendum est, teste experientia & *Richard. Boulton* aliquot rationibus probante, Quare nobis perplacet ingenua *Salom. Reiselii* confessio in *E. N. C. Dec. 1. ann. 2. Obs. 215. legi varios, inquentis, varia contra arthritidem docentes, sed pleraque ab expertis podagricis vana, nonnulla quoque licet prima specie lata, tandem magis noxia esse percepi. Æternæ ergo veritatis sunt & velut è tripode dicta sæpius allegati Sydenhami loc. cit. verba, quibus hanc thesin obfirmamus, quando ait: *Therapia radicalis & usq; quæq; perfecta, qua quis etiam à diathesi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet, atque in nature sinu reconditur, nescio quando, aut à quibus in lucem protrahenda.**

§. XXXI.

DE FONTE DIÆTETICO quædam etiam sub-

necesse æquum esset, verum quia eadem vitæ ratio  
 in paroxysmo, utut religiosior, ac extra eundem,  
 vel etiam in mali præservatione locum obtinet, de-  
 que ea supra §. XXV. & seq. prolixè jam egimus,  
 pluribus de ista annotandis hic supersedemus: uni-  
 cum hoc repetentes & denuo inculcantes, curatum  
 vitæ regimen & tenuem victum in hoc affectu, vel  
 in futurum præcavendo, vel præsentè mitigando, omne  
 fere punctum ferre, quod eleganter expressit *Petrar-*  
*cha*, dum *Part. II. dial. 84. si salutem*, inquit, *cupis,*  
*aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas.* Quod  
 si deniq; hanc morborum reginam, uti *Lucianus in*  
*Trago-podagr. T. III. p. m. 693.* cecinit: *nulla thura,*  
*nulla fumigatio nec fusus apud aras cruor aut donaria*  
*suspensa templis divitum placabilem reddunt: nec ipse*  
*vincere summus omnium Paan Deorum medicus arte sua*  
*potest, Apollinisve filius Æsculapius*, omnium ma-  
 lorum victrix patientia strenue & constanter in usum  
 vocetur, remedium verè universale & Panacea, in his  
 æque ac quibusvis aliis morborum insultibus probatiss-  
 sima, omni periculo vacans & quovis tempore adhi-  
 benda, reliquis etiam jungenda atq; interpolanda.  
 Et si quando dolorum cruciatus ultra humanæ con-  
 tinentiæ vires affligere videntur, querula illos voce  
 & gemitu vel manifestare vel demulcere, quantum  
 datur, licet. Quibus linimentis, *Dan. Sennerto de*  
*Arthritid. c. 8.* referente, usus quondam est *Carolus*  
*V. Imperator*, haud raro dicere solitus: *Esse patien-*  
*tem & parum præ dolore clamare, sunt optima contra*  
*arthritidem remedia.* Donec tandem podagræ tyran-  
 nidi & simul vitæ omnibusque miseriis exopta-  
 tus imponatur

\* \* \*

\* \* \*

\* \* \*

**O**Mnibus invisum nomen nodosa Po-  
dagra est

Quam nobis sistit pagina, Amice,  
Tua;

Quæque laboranti sævos parit usque do-  
lores,

Illa TIBI laudem, fausta que multa pa-  
rat.

Obfirmata diu nulla medicabilis herba

Hactenus, & major Pæonia arte fuit.

Disce malo atroci præsentem afferre me-  
delam,

Sic Medicus felix, sic quoque dives  
eris.

*Hisce*

**NOBILISSIMO DNO DISPUTANTI**

*Fautori & Cognato Suo Aestumatissimo  
votiva mente accinit*

**PRÆSES.**

**D**och Wohlgeehrter Freund / wer sei-  
 nen muntern Geist ;  
 Wer seiner Weißheit-Schatz / die Ehre hat  
 zu kennen /  
 Der wird mit Wahrheit Ihn / ein recht  
 Gelehrten nennen :  
 Sein Thema selbst ist's / so dieses  
 deutlich weißt.  
 Das herbe Podagra, so vielen Schmer-  
 zen macht /  
 Ist der erwählte Theil / wovon Er disputiret /  
 Und davon weißelich / die Causas inquiri-  
 ret :  
 Der dessen Cur bemerckt / bleibt dar-  
 vor unverzagt.  
 Ich wünsche billig Ihn / Herr Pfähler  
 Gottes Segen /  
 Glück / Heil und langes Leb'n / ja was Er  
 wünschen kan /  
 Zu seinem Ziel und Zweck / mit diesen Zei-  
 len an ;  
 In der Aufrichtigkeit / wie gute Freun-  
 de pflegen.

Wie diesem wenigen hat dem Hn. Defen-  
 denti gehorsambst congratuliren wollen

J. P. B. M. Dr.

**W**eschwind Mercurius! wie? bistu noch nicht da?  
 Wo steckest du so lang / hastu das Podagra?  
 So spann den Wagen an / fahr hin in Straß-  
 burgs Höhen /  
 Da wirstu vor dein Weh bald einen Helffer sehen;  
 Es ist mein werther Freund / Herr Pfähler/  
 dessen Geist  
 Uns heut ein Meister-Stück von seiner Weißheit  
 weist.  
**W**as wenig Musen Sohn in Schrifften sonst be-  
 rührt /  
 Das hat sein kluger Geist vortrefflich ausgeführt.  
 Drum/weil sein muntre Geist von lauter Weiß-  
 heit blüht /  
 So ist Astræa selbst vor einen Preis bemüht /  
 Den ihre zarte Hand in kurzem Jhm wird schencken.  
 Mich quält zwar / werther Freund! ein schmerz-  
 lich Angedencken  
 Daß ich bey deinem Fest nicht selbst zugegen bin;  
 Drum nimm Mercurius die schlechten Zeilen hin /  
**U**nd sage meinem Freund / daß ich mich höchst ver-  
 gnüget /  
**W**eil jetzt von seinem Fleiß die Frucht am Tage  
 lieget.

Paris, den 25. Novembr. 1733.

Dieses wenige wolte dem Herrn Defen-  
 denti zur Probe seiner beständigen Freunds-  
 schafft beysetzen und Jhm von Herzen gra-  
 tuliren ein abwesender Freund

J. C. E. M. D.



**D**A ich / Geehrter Freund! das schlim-  
 me Podagra  
 In Deinen Theſibus ſo wohl beſchrie-  
 ben ſah :  
 So dacht ich / ſahr ſo fort / ſo wird es bald  
 geſchehen /  
 Daß wir durch Deinen Fleiß Dich / als ein  
 Doctor, ſehen.

Dieſe geringe Zeilen wolte dem  
 Hn. Respondenten beſetzen

Deſſen ergebenſter

F. J. S. M. St.

